



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Sectio II. Prima Observatio generalis circa Concilia Generalia in se ipsis  
seu in genere considerata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

7. Omnes Clerici ac Monachi Episcopali Jurisdictioni obnoxii , huic Synodo adesse cogi possunt ; imò etiam exempti , qui Capitulis Generalibus non subduntur . c. 16. DIST. XVIII. c. 2. SESS. XXIV. c. 7. CAUS. XXXV. QUEST. VI.

8. Cavendum , ne quid in illa statuatur ; quod Canonicis obviet institutis . c. 9. de majorit.

9. Juxta suppositam Eutichiano Epistolam , in Synodo eligendi erant 7. Testes qui jurarent , se detecturos quidquid reformatione dignum scirent.

Circa Synodus Diaœsanam plura hic quæri possent , illis , quæ alibi dicta sunt , sive in tractatu de Vicario Generali , iis præcipue locis , in quibus de Episcopi Jurisdictione , sive , in Tractatu de Capitulis ; sive dùm de præcedentia actum est , faciliè decidenda ; nam v. gr. si jura temporalia Legem Diaœsanam spectent , evidens est , jus Synodos celebrandi , ad Legem Diaœsanam non reduci ; si , quæcumque Episcopo non prohibentur , Episcopus facere valeat , palam est , in Synodo , ab Episcopo , circà ea omnia , quæ sibi non vetantur , statuta condi posse. Si Vicarii potestas ex commissione pendeat , in his , quæ usu vel jure communis ad Vicarium , sine speciali mandato non pertinet , oportet , ut convocatione Synodi , cum nec iure communis , nec usu , Episcopo non adeo reservetur , quod ad illam mandato speciali egeat Vicarius , à Vicario fieri possit. Si in his , quæ ad alienationem pertinent , Capituli sui consensu egeat Episcopus , in aliis verò non egeat ; manifestum est , illis de rebus , in Synodo nihil statuere posse Episcopum , sine prædicto consensu , de cæteris verò posse. Si in Cœtibus Ecclesiasticis , inter Ordinatos vel Ordinum dignitas , vel Ordinationis tempus , quoad sessionem consideretur , inter alios verò , Officiorum dignitas , vel ad illa receptionis antiquitas ; cui in Synodo , præcedentia debeatur , patet. Si delegari nullus posset , nisi dignitate prædictus , vel Personatum in Ecclesia Cathedrali , vel Collegiata , vel Canonicatum , in Cathedrali , possideat , vel Prior Conventualis , Abbatæ sit , nec non atatem requiri tam habeat ; ita quoque nullus Synodalis Judex eligi valet , nisi unum ex his Gradum habeat , ut etiam atatem ad id necessariam.

Cætera , quæ scienda sunt , circa Synodus Diaœsanam , & quæ prætermissa in corpore juris sunt , supplebit supra citata *Dissertatio*.

### TITULUS XV.

*Note Historica circa Concilia Generalia invicem collata , in quibus eorum præcipua discrimina & similitudines exhibentur , nec non afferitur aquitas Regularum & Usuum Gallie.*

### PARS PRIMA.

#### SECTIO I.

**D**omi collectionem Conciliorum P. LABBÆI lustrarem , discuteremque ejus collectanea circa Concilia Generalia , multa animadverti inter illa discrimina attentione digna ; sive quia eorum plura Regulas (*Maximes*) atque usus Gallia confirmant ; sive quia nullum est eorum quod scitu necessarium non sit , cùm quodlibet pertineat ad aliquam è præcipuis hujus argumenti circumstantiis , 1. Nomen , 2. Convocatio , 3. Convocationis causa , 4. Locus celebrationis , 5. & Tempus , 6. Praesidentia , 7. Assistantia per Procuratorem , 8. Modus sententiam ferendi , 9. Definitiones circa Fidem & Mores , 10. Statuta circa Disciplinam , 11. Acta , 12. Subscriptiones , 13. Confirmatio Pontificia , 14. Recep-

Tom. I.

tio ab Episcopis , qui non interfuerunt , 15. Sumpitus ad Concilium necessarii , 16. Numerus Conciliorum Generalium , quæ prout talia à Gallis agnoscentur. Hæc autem discrimina colligenda esse existimavi , quia hac methodo Concilia facilè ab invicem distinguuntur , resque singulis eorum peculiares discuntur , sed prius quam longius prosequar , duo prætandæ venient , 1. Nonnullæ observationes generales præmittendæ , circà res Concilii Generalibus communes , & ea quæ sciri necesse est , prius quam minutior fiat enumeratio ; 2. Monendum utriusque generis Notis subjiciendam esse earum accommodacionem ad regulas ususque Gallicanos.

#### SECTIO II.

**P**RIMA OBSERVATIO Generalis circa Concilia Generalia in se ipsis seu in genere considerata.

**O**bservanda sunt imprimis conditions requisiæ , ut Concilium pro generali habeatur. Porro juxta definitiones Conciliorum *Constantien.* *Sess. V.* & Basileensis , *Sess. II.* sciendum est , quod character proprius Concilii Generalis sit , repræsentare Ecclesiam Universalem , sicut character uniuscujusque Concilii particularis est , repræsentare Ecclesiam particularern , à qua suam autoritatem desumit. Et quidem utriusque Concilii Patres supponentes , Concilium Generale solum habere jurisdictionem sive superioritatem super Pontificem ; cùm autem necessarium foret , ut constaret ipsos habere autoritatem in Pontifices sui temporis , Patres , inquam , declarant , se Concilium Generale constitutere , quod prout tale Ecclesiam Universalem repræsentet. Et primò declarat , quod ipsa (*Synodus*) in Sancto Spiritu legitime congregata , Concilium Generale faciens , & Ecclesiam Catholicam repræsentans. Haec tenus Concilium Constant. Basileense autem iisdem verbis utitur , his quod , pro Catholicam , dicit militantem , quod quidem Epitheton vulgo soli Ecclesiae Universalis seu Catholicæ tribuitur.

Cæterum , notio Concilii Generalis , ab utraque Synodo tradita , accuratissima videtur ; nam Conventus Generalis alicuius Corporis , seu Universitatis , Corpus repræsentare debet , undè fit , ut dicatur Comitia Generalia Provinciarum repræsentare Provincias , & Comitia Generalia olim apud Gallos habita , totam Ditionem Gallicam repræsentare. Porro Concilium Generale nihil aliud est , quam Universalis Ecclesiae conventus : ut igitur Concilium Generale sit , oportet , ipsum Ecclesiam Universalem repræsentare ; & proindè conditions necessariae , ut Concilium Ecclesiam Universalem repræsentet , requiruntur ut Concilium pro Generali habeatur.

Porro ha conditions sunt 1. Ut omnes qui à Spiritu Sancto præpositi sunt ad regendam Ecclesiam , vocentur ad Concilium. 2. Ut omnes interfint , sive minus per se ipsos , saltem per Procuratorem , si legitimo impedimento detineantur. 3. Ut , si nonnulli non fuerint vocati , vel vocati neglexerint ire , vel etiam Procuratorem mittere , sive legitimum haberint impedimentum , sive nullum , hi , inquam , ratum deinceps habuerint , quod gestum fuit.

Si aliqua ex his conditionibus desit , Concilium Ecclesiam Universalem repræsentare non potest ; quia minùs ampla erit ejus authoritas , quam authoritas Ecclesiae Universalis : quippe Concilia tantumdem authoritatis habent , quantum personæ ex quibus coalescent. Præterea , Ecclesia congregata non nisi accidentaliter differt à dispersa Ecclesia . Porro Concilium est Ecclesia in eundem locum conveniens ,

Q

in

in persona eorum, per quos regitur, sicut Ecclesia dispersa nihil est aliud, quam eadem Ecclesia, hic & illuc sita, in eadem Pastorum suorum persona.

De personis agendo, quae convocandae sunt ad Concilium, eique interesse debent, aut illud approbare, ut Ecclesiam Universalem representet, eorum tantum mentionem fecimus, qui Ecclesia Regimini praefecti sunt, quamvis ipsa multiplex aliarum personarum genus contineat; quia, scilicet, hic agitur de rebus autoritatem postulantibus, cum definire oporteat fidei Capita, aut morum, vel statuta circa Disciplinam condere. Porro, in his et similibus easibus, Ecclesiam constituant ii, per quos ipsa regitur.

Hactenus sola ratione usus sum, ut probarem necessitatem triplicis conditionis à me requisita, quoniam sola ratio sufficere mihi visa est. Verum præstat nihil eorum neglere, quae doctrinam hanc confirmare possunt, & quasdam authoritates subnecto. Primo occurrit mihi Regula 29. in 6. Quod omnes tangit ab omnibus adprobari debet. Regula haec argumento nostro eò magis apta est, quod singularum Episcoporum specialiter interstet, in causis quas Concilia Generalia discutunt, scilicet in Controversiis circa fidem & mores, Episcopi autem partim propositi sunt ad ferendam de iis Controversiis sententiam. Alias authoritates deponit Textibus, qui dicunt in rebus, quae Corporis confessum postulant, ad conventum vocandos esse omnes assistendi jus habentes, alias Conventum, ejusque actus esse nullos, nisi qui vocati non fuerunt, injuriam sibi illatam dimittant, Capite 28. 35. 42. de Elect. Reg. 10. De Reg. J. in 6. Caput 42. docet præterea eos, qui legitime impedimentum detinentur, quominus indicio Comitio intersint, habere ius Procuratores ad illud mittendi. Addere licet Cap. 43. de Elect. in 6. in quo dicitur Moniales, quæ non nominaverunt Abbatissam à majori parte electam, posse si liberæ cæteris accedere, non obstante scrutinii publicatione, suoque accessu Abbatissam facere capacem Confirmationis et Benedictiōnis, non obstante oppositione, dummodo tot accedant quot necessaria sunt, ut duæ partes Votorum requisitorum concurrant. Ex hoc enim appetat quanta sit vis ratificationis, hinc enim docet eam dare novam perfectionem novumque effectum actu jam completo: Electio enim perficitur per publicationem scrutinii, ipsiusque electionis, si persona à majori parte electa fuerit, quamvis autem perfecta sit, ratificatione subsequens, eam capacem facit confirmationis, nonobstante oppositione, quasi in principio à duabus partibus facta fuisset. Aliud vero per viam ratificationis, Concilium, quod particulare foret, eo duntaxat, propter non convocationem aliquot Episcoporum assistendi jus habentium, fit deinceps Generale.

Synodus Basileensis rogata, ut exponeret, quid sentiebat per Concilium Generale, in pacto quod cum Ecclesia Graeca Deputatis fecerat, de finiendis omnibus utriusque Ecclesia Graeca & Latina disceptationibus in Concilio generali, respondebat, se intelligere Concilium, cui Pontifex, Patriarcha, atque omnes Prælati Orbis Universi intererunt per se ipsos aut per Procuratorem, cum plena, seu integra libertate dicendi quidquid sentirent. CONCIL TOM. XII. p. 547.

### SECTIO III.

#### SECUNDA OBSERVATIO GENERALIS.

**N**on minus est necessarium observare, quod Concilium Generale, cum Ecclesiam universam representet, ejus prærogativis fruatur, itaque non

solum autoritatem universalem habet sicut ipsa Ecclesia, seu potestatem obligandi omnes & singulos Fideles, sed etiam infallibile est, non secus, arque Ecclesia Catholica, cum representationis jure, sit basis, columna, & firmamentum Veritatis; fruaturque sicut Ecclesia, omnibus promissionibus auxillii singularis Spiritus sancti, similiis adjutorio Scriptoribus Sacris dato. Inde fit, ut Gregorius Magnus conferens certitudinem definitionum Conciliorum Generalium, cum certitudine Doctrinæ Scriptura Sacrae, dicit sicut Sancti Evangelii quatuor Libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor..... quia in his velut in quadrato Lapis, sancta fidei velut structura consurgit, & cuiuslibet vita atque actionis norma consilit. C. 2. Dist. XV. Inde fit etiam, ut sit inauditum, aliquod Concilium Generale, multominus Pontificem, ausum fuisse discutere definitiones Conciliorum præcedentium pro generalibus Universaliter habitorum, imo, cum illas fidei Principia reputarent, ipsi usi sunt, ad dirimendas novas controversias, vel, si iis questionibus definiendis alienæ essent, jusserunt, ut ab omnibus tanquam oracula infallibilia susciperentur. Horum capitum probationes cernere licet in plurimis Conciliis Generalibus in Oriente habitis. Verbi gratia Concilium Generale Constantinop. I. Canones suos inchoato præcipiendo, ut definitiones Nicæna stabiles maneat, atque immutabiles, Theodosioque Imperatori, à quo convocatum fuerat, gesta sua exponens, dicit inter alia multa, se fidem Nicænam confirmavisse; id est, ut supra diximus, præcepisse, ut in hac fide perseveraretur.

Eadem Definitione Nicæna lecta fuit in Concilio Ephesino, statutumque fuit, ut ipsa Actis ejus infereretur. Eadem, ut regula, seu principium, adhibita fuit in decisione Controversiæ à Nestorio mota, an Virgo sacra sit Dei Mater? Nam Synodus, perpenitus modo, quo prius intellecta fuerat, cum invenisset, eum Nestorianum sensui contrarium fuisse, veruit aliam doceri, scribi aut componi Confessionem fidei, quam Nicænam, expositam eo, qui dictus fuit, modo. CONCIL. TOM. III. p. 671. ad 690.

Synodus Calcedonensis, Constantinopolitanæ & Ephesina vestigiis insistens definitiones Conciliorum Generalium innovat, suis Actis inserit, & in fronte definitionis mox proponendæ locat, velut principia, quibus illa innititur. CONCIL. TOM. IV. pag. 561.

In damnatione Trium Capitulorum lata à Quinto Concilio Generali, quod est Constantinopolitanum 11. Synodus monet, se illa damnare, ideo quod ea reperisset contraria doctrina Concilii Calcedonensis; additque, se recipere definitiones omnium Conciliorum præcedentium nempe Nicæni, Constantinopolitanæ, Ephesini, & Calcedonensis; seque reprobare & damnare, quidquid rejecerant & damnaverant. CONCIL. TOM. V. p. 567. & 568.

Idem videre est in sexto Concilio Generali, seu Constantinopolitano III. nam in definitione lata aduersus Monothelitas, declarat Synodus, se tritam à Quinque Conciliis Generalibus præcedentibus viam sequi, seque eorum Doctrinæ consentire, singularum expressam mentionem faciendo, & recipere Symbola ab aliquot ex illis in heresem extirpationem confecta; tum refert Symbola Nicænum, & Constantinopolitanum CONCIL. TOM. VI. p. 1020. & 1021.

Est aliquid notabilius in Septimo Concilio Generali seu Nicæno II. præmissa enim protestatione, se nihil adjuicere, nec tollere velle ex definitionibus sex Conciliorum præcedentium, renovat & refert Symbolum Constantinopolitanum cum his verbis *Filioque*, credens, Doctrinam Processionis Spiritus Sancti à Filio, quam exprimunt, contineri in Doctrina

na